PACIS AVGVRIVM

SVB

CLEMENTIS X. P. M.

PATROCINIO

ODE

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo D.

CAMILLO MAXIMO

PATRIARCHAE HIEROSOLIMYTANO,
Cameræ Apoſtolicæ Decano, & Pontificij Cubiculi
Præfecto Dicata.



ROMAE, Typis Nicolai Angeli Tinaſſij. M. DC. LXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIME
AC REVERENDISS. PRAESVL

M*Eam*, Illuſtriſſime Præſul, *audaciam excuſatam habeas, ſi Poeſim hanc iuuenili calore effuſam, atque inuitis, vt ita dixerim, Muſis exaratam, tua humanitate confiſus, Tibi ſacrare non verear; vetus ſiquidem amor, ac ſtudium, quo patruum meum iam pridem humaniſſimè complexus es, ac inter tantos Romanæ aulæ plauſus, quibus meritò frueris, adhuc proſequeris, ad hoc præſtandum omninò impulit. Vt interim modeſtiæ tuæ morem gerens illud omittam, quod me ad patrocinium tuum mihi comparandum trahere potuiſſet; præclaræ ſcilicet ſtirpis nobilitas, quam tamen vincis*

præſtantiſſimis animi dotibus, & ſuauiſſimis moribus, per quos omnibus æquè venerandus, & amabilis appares. Hinc effectum eſt, vt cum clariſſimos viros haberem, quibus breuis huius carminis nuncupationem ob eorum officia deberi meritò cognoſcerem, Tibi vni primum hunc ingenioli mei qualemcumque fœtum dicari voluerim. Quapropter hoc iuuenile carmen eo ſuſcipe vultu, quo cætera benigniſſimè ſoles. Ego verò, dum à CLEMENTE DECIMO feliciſſimè regnante ad Pontificij Cubiculi Præfecturam electus, fructus iam propè colligis nobilium laborum, quos apud Hiſpanum Regem ſub Innocentio X. Apoſtolicus Nuncius ſuſtuliſti, eos Tibi honores exopto, precorque à Deo immortali, quos iampridem mereris. Vale.

Humillimus, & Obſequentiſs Cliens
Ioſeph de Iudijs.

Digitized by Google

PACIS AVGVRIVM
ODE.

QVò me furentem, Pegaſe, quò rapis
Hinc inde vatem? cur iuga deſerens
Vmbroſa, Parnaſſique colles
Aſtra quatis fugiente penna?

Periculoſas deſine peruicax
Librare pennas, imbribus horridas
Tranaſſe nubes, & Gradiui
Nonne vides tetigiſſe cælum?

Iam culmen Oſſæ, iam mihi Pelion,
Et fracta telis Acroceraunia,
Aemuſque, Mænalique, Olympuſque
In vacuas tenuantur vmbras.

Iam nec gementis littora Boſphori,
Nec quæ per æquor Cycladas innatant
Luſtrare fas eſt, & minantes
Vix datur enumerare rupes.

Quam vos cruento fulmine Biſthones
Vertiſtis Vrbem, & non ſine lacrymis
Dictæa propugnacla quondam
Intueor tumulata ſaxis.

Iam quæ refuſis littora naufragus
Tyrrhenus vndis lambit, & Adria,
Spectantur, apparetque latè
Roma ferox per amæna Tybris.

Tumultuoſis cur micat ignibus
Diſciſſus aer? quis fragor intonat
Ab arce læua, cur boatu
Terribili ſonuere valles?

Cur æſtuanti vortice perſtrepit
Per arua flauus Tybris, & horrido
Non auſpicatas imbre voluit
In pelagum violenter vndas?

Cur Vaticanum vocibus inſonat
Plauſuque culmen? qui Capitolio
Tolluntur arcus? an triumphos
Roma Ducum memorare gaudet?

Hinc inde fuſis aſtra tonitruis
Plauſere? Diui vota precantium
Senſere, promiſſumque Romæ
ALTERIVM dedit vrna ſidus.

Hinc bella, Mauors, hinc procul exulēt
Furoris ignes, & furor improbus
Contempta cernens arma, morſu
Odryſias laceret ſagittas.

Euros, & Auſtros Hæreſis incitet,
Fluctuſque tollat, SIDERA Principis
Sedant procellas, Vaticanæ
Facta ratis Cynoſura felix.

Iam nec Gradiui tela videbimus
Vaſtare terras, regnaque Belgiæ,
Non conditi aptabuntur enſes,
Nec rabidus fremet arma miles.

Digitized by Google

Iam nec tumultu Sequana bellico
Vexabit Vrbes, nec Tagus aureas
Trahens arenas, ſe ſub alueo
Arma timens inimica, condet.

Nec bella miſcet, nec ferus Italas
Mars occupatas ſeditionibus
Spectabit oras, nec cruenta
Eridanus properabit vnda.

Sulcare tutis æquora puppibus
Nautam iuuabit, non ſine gloria
CLEMENTIS, & ſpreuiſſe ventûm
Auſpicio meliore flatus.

Pallete Traces, queis ſuper impia
Ceruice pendent fulminis impetus,
Pallete, conſurgit daturus
Excidij genus omne CLEMENS.

Armare vultum non penetrabili,
Et membra ferro quærite milites,
Nulliſque Vulcanus ſub antro
Arma ſtruat penetranda telis.

Nil

Nil arma proſunt, mœnia Biſthonum,
Vaſtata ferro, Cretaque ſub iugo
Demiſſa, ſi lugent, & agri
Sanguineas peperere fruges;

Luenda pœna eſt; Treicij canis,
CLEMENTE mœſta clade iterabitur
Fortuna; quæſitamque palmam
Chriſtiadum reſecabit enſis.

Aegæa, Traces, ibitis, ibitis,
Non vſitatis per freta nauibus,
Ducente puppes & Fauoni,
Et Zephyri recreantis aura.

Turgebit æquor, nec Tethys abnegat,
Eurique pontum flabra videbitis
Miſcere, dum CLEMENTIS aſtra
Fulmineos minitantur imbres.

Pallete Traces; iam videor rates
Videre quaſſas, & ſine puppibus
Errare, diſiectaſque ventum
In pelago tumulare claſſes.

Hæc

Iam nec tumultu Sequana bellico
Vexabit Vrbes, nec Tagus aureas
Trahens arenas, ſe ſub alueo
Arma timens inimica, condet.

Nec bella miſcet, nec ferus Italas
Mars occupatas ſeditionibus
Spectabit oras, nec cruenta
Eridanus properabit vnda.

Sulcare tutis æquora puppibus
Nautam iuuabit, non ſine gloria
CLEMENTIS, & ſpreuiſſe ventúm
Auſpicio meliore flatus.

Pallete Traces, queis ſuper impia
Ceruice pendent fulminis impetus,
Pallete, conſurgit daturus
Excidij genus omne CLEMENS.

Armare vultum non penetrabili,
Et membra ferro quærite milites,
Nulliſque Vulcanus ſub antro
Arma ſtruat penetranda telis.

Nil

Nil arma proſunt, mœnia Biſthonum,
Vaſtata ferro, Cretaque ſub iugo
Demiſſa, ſi lugent, & agri
Sanguineas peperere fruges;

Luenda pœna eſt; Treicij canis,
CLEMENTE mœſta clade iterabitur
Fortuna; quæſitamque palmam
Chriſtiadum recabit enſis.

Aegæa, Traces, ibitis, ibitis,
Non vſitatis per freta nauibus,
Ducente puppes & Fauoni,
Et Zephyri recreantis aura.

Turgebit æquor, nec Tethys abnegat,
Eurique pontum flabra videbitis
Miſcere, dum CLEMENTIS aſtra
Fulmineos minitantur imbres.

Pallete Traces; iam videor rates
Videre quaſſas, & ſine puppibus
Errare, diſiectaſque ventum
In pelago tumulare claſſes.

Hæc

Hæc bellicoſis funera Tracibus,
Prædico. CLEMENS maxime Principum
Regnabis, ò tutela præſens
Auſoniæ, columenque Romæ.

Te victor orbis, te Tagus aurifer,
Et nil pauentis littora Galliæ,
Te Scotus aſper, te Gelonus,
Et gemini venerantur orbes.

F I N I S.

Κλήμης ὁ δέκατος Κλήμεντι τῷ ἐννάτῳ ὑπηκολούθησε.

Ἀστὴρ μὲν κύκνοιο τελευτᾷ, ἓν μόνον ἄστρον
Δύσατο, λαμπρὰ δ' ὅμως ἓξ Θεὸς ἄστρα πόρεν.

Idem Latinè verſum.

CLEMENS X. IX. CLEMENTI
ſucceſſit.

Sidus oloris obit, ſed ſex ARGENTEA Numen,
Vnum ſi ſidus concidit, ASTRA dedit.

VITTORIO EMANUELE BIBL.

Digitized by Google